

Adolf Mosel

**De cosmologia Hebraeorum : dissertatio inauguralis quam auctoritate amplissimi philosophorum ordinis im academia Rostochiensi summos in philosophia honores rite consecutus**

Rostochii: Carolus Boldt, MDCCCLXXII

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1858197104>

Druck Freier  Zugang



OCR-Volltext

DE  
**COSMOLOGIA HEBRAEORUM.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CONSEUTUS

SCRIPSIT

**ADOLPHUS MOSEL**

PHILOSOPHIAE DOCTOR.



---

**ROSTOCHII.**

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXII.



Cosmologia Hebraeorum in prioribus Geneseos capitibus tradita est. Quodsi aliis quoque veteris testamenti locis rationes de origine ac creatione mundi insunt, ut Jes. 40, 22, 26; Ps. 33, 6. 7; 104; Job. 38, quae quidem rationes saepe illis in Geneseos libro allatis adversantur, iis alias traditiones vel scripta proposita fuisse putabis, rationes vero illas ex cosmologiis Geneseos haustas licentia poëtica variatas esse verisimile est. Ergo, si Hebraeorum cosmologiam in medium proferre volumus, modo ad duo illa Geneseos capita spectandum nobis est. Cosmologiam quum disserere propositum nobis sit, tripertita commentatio nostra erit: Primum agendum est de scriptoribus cosmologiae ac de fontibus, unde hauserint, deinde de argumento ac de ratione narrationum Geneseos priorum, postremo de fide historica.

#### **I. De scriptoribus cosmologiae ac de fontibus, unde hauserint.**

Totum Pentateuchum exceptis illis, quae de Mosis morte narrata essent, a Mose scriptum esse ad recentiorem aetatem omnibus persuasum erat. Luthero dubium erat, quis Geneseos scriptor esset, de ceteris Pentateuchi libris Mosis autoritas certa ei videbatur. Atque negari nequit librum illum a Mose scribi potuisse.

Ars enim scribendi aetate Mosaica jam nota erat, quod, quamvis Vatke et ab Bohlen negare studeant, ex papyris Aegyptiacis ex aetate jam ante Mosen ad nos perlatis satis apparet. Atque Israëlitas scribendi peritos fuisse inde elucet, ut in libris Pentateuchi ipsis scribendi artem ad documenta conscribenda et monumenta literis exornanda adhibitam esse commemoratum pluribus locis sit. Denique Pentateuchum librum veteris testamenti antiquissimum esse ex archaïsmis liquet atque illum brevi post exitum Israëlitarum ex Aegypto conscriptum esse, ex permultis, quae ad Aegyptum spectant, commemoratis verisimile est. Porro Mosen scriptorem sanctae historiae novas manifestationes cum antecedentibus primariis

conjunxisse expectaremus, quum in illo finis unius historiae periodi atque initium illius sub lege temporis consociatum esset. Atque quum propheta maximus fuerit, cf. Deuter. 34, 10, eum Dei facta et praeterita et futura manifestaturum nobis fuisse putare licet. Itaque non esset, quod Mosen scriptorem Pentateuchi esse negaremus, nisi aliae atque gravissimae causae obstarent. Hae primum Astruc, medicum quendam Gallicum, offendebant, qui in libro: „Conjectures sur les Mémoires originaux, dont il paroît que Moÿse s'est servi pour composer le livre de Genèse“, Mosen duodecim tam majoribus quam minoribus scriptis usum fuisse ostendere studuit. Quod illi satis apparere visum est ex diverso illo nominis Dei usu, qui quidem in aliis narrationibus constanter אלהים, in aliis יהוה sit appellatus. Quo in fundamento viri ejus rationem sequentes Eichhorn, Ilgen, Gramberg quasi altius aedificaverunt. Vater, Hartmann Pentateuchum ex permultis diversorum scriptorum fragmentis compositum esse demonstrare studuerunt, quibus Hupfeld assentitus est. De Wette, Ewald, Staehelin, Bleek, Tuch, Kurtz, Delitzsch primarias narrationes ab illo, qui אלהים nomine utatur, scriptas esse affirmant, quas quidem alter scriptor dilataverit et suppleverit. Omnibus illis satis constat alternantem Dei nominis usum modo a diversis scriptoribus profectum esse posse. Qui vero unitatem autorum et narrationum defendere student, alternantem nominis Dei usum hoc modo interpretantur: autorem in mentionem revocare velle Deum, de quo narret, eundem esse, qui in prima narratione creator mundi prolatus sit; אלהים esse Deum initii et finis, יהוה Deum medii temporis, evolutionis ab initio ad finem se moventis; creationem esse initium et finem esse omnium factorum ad ideam suam perfectionem; regnum potentiae regnum gloriae fieri oportere, inter illa regnum gratiae interesse, historiam diuturnam, cujus argumentum gravissimum opus salutare sit; יהוה esse Deum, qui initium et finem hujus historiae communicet, Deum salvatorem.

Quare aptissime nomine יהוה אלהים usum autorem esse in narratione illa, in qua mundus ab Elohim creatus in



traditione propagatae, simulatque Israëlitae in terram promissam pervenerunt, scriptae sunt. Tum res gestas Israëli-tarum scriptor quidam conscribere coepit. Quem librum postea alter scriptor dilatavit et replevit. Mosen res illas non scripsisse ex locis illis elucet Exod. 11, 3; Num 12, 3, ubi Moses nominatur vir summus in Aegypto et lenissimus omnium, quicumque terram habitant; tum liquet ex Deuter. 34, 10, ubi dictum est, non amplius prophetam in Israël Mosi aequalem existisse. Tales laudes a Mose ipso effectas esse putas? Nonne potius virum Mosi amicissimum id scripsisse atque totum Pentateuchum brevi post Mosis mortem ab aequalibus conscriptum esse arbitrandum est?

Quid vero de prioribus Geneseos narrationibus, cosmologiam continentibus, sentis? Narratio prima ab illo autore exiit, qui אלהים nomine usus est, atque quum יהוה nomen demum ex Mosis temporibus in usum venerit, haec primaria narratio est. Secundum caput nomen Dei יהוה אלהים habet neque vero ab alio atque ab illo auctore scripta est, qui alias nomine יהוה utitur. Quod inde apparet, ut notiones quaedam cum illis, qui in aliis ejusdem scriptoris locis insunt, congruant, ut exempla afferam שיה השדה V. 5., עשב השדה V. 6., היה השדה V. 19. 20., עבר ארצה V. 5. 15., הפעם V. 23., שם V. 5., quas quidem notiones autor ille, qui אלהים nomine utitur, nunquam affert. Duplici Dei nomine utitur יהוה אלהים, ut demonstret Deum אלהים primariae narrationis et Deum יהוה a se prolatum eundem esse.

Unde vero hi scriptores illas de patriarcharum vita et actis atque imprimis de mundi totius origine narrationes, hauserunt? Ex illis ipsis scriptoribus narrationes neque Dei manifestationibus apertae neque ex ipsorum mente et cogitatione ortae non exierunt, quum cosmologiae aliorum populorum, quibuscum neque sanguinis neque literarum et vocis neque mercaturae communio erat, et illae Hebraeorum mirifice inter se consentiant. Omnium harum cosmologiarum fons quaedam communis est, unde omnes emanaverunt. Haec est traditio, qua imprimis apud Hebraeos Dei opera memoria manifestationum Dei propagata est atque eo facilius propagari

potuit, quo longior vita et simplicior vivendi ratio et quo magis patriarchae alienis obsistebant. Quae traditio diligentissime conservata sancta habita est, quum fundamentum existentiae, unitatis vinculum, praestans futurum, hereditas pretiosissima esset generi electo. Has res traditione propagatas scriptores collegerunt et scripserunt et in historiam continuatam redegerunt. —

## II. De argumento ac ratione narrationum Geneseos priorum.

De prioribus Geneseos capitibus summa virorum doctorum discordia est, qui quidem partim in duabus illis narrationibus non cosmologiam, sed geologiam allatam nobis esse, partim Gen. 1, 1—2, 3 cosmologiam, Gen. 2, 4 sq. geologiam contineri, partim Gen. 1, 1—2, 3 cosmogoniam narrari, Gen. 2, 4 sq. illa, quae in narratione illa omissa sint, supplere velle affirmant.

Perquiramus primum narrationem illam Gen. 1, 1—2, 3, utrum cosmologia an geologia contineatur. Si quis libero animo hanc narrationem leget veram cosmogoniam contineri fatebitur, neque illam interpretores et dogmatici veteres aliter ac de totius mundi creatione intellexerunt et interpretati sunt. Geogoniam hoc loco narrari recentiorum ratio est, quorum interpretatio quantopere falsis praemissis posita sit clarissime apparet.

Inde enim proficiscuntur, ut arbitrentur narrationem hanc cum inventionibus novissimis virorum naturalium rerum peritorum consentire oportere, atque ad hoc demonstrandum tota interpretatio spectat, quo fit, ut in arbitrio et artificio posita sit. Dicunt illi narrationem summopere terrae creandae vacare, unum modo diem ad coelestia corpora conformanda conferre, quam conformationem ita interpretari liceat, ut ad nihil aliud nisi ad terram spectet. Difficultates versu 14 sq. huic oppositas ita rejicere student, ut verbum illud עשה non de creatione, sed de nova institutione et permutatione interpretentur atque illud יהי cum ה conjugant, quod nunc non denotet „fieri“, sed „assignari.“ Qua in interpretatione eo nituntur, ut coelum et astra ex calculationibus virorum

naturalium rerum studiosorum multo prius existisse quam hanc terrae formam oporteat. Quum paullo post ad hanc interpretandi rationem redeamus, brevi hanc sententiam refellere volumus. **עצמה** in reliquis hujus capituli versibus semper creare denotat, quare non hoc loco? Porro illud **יהי** in toto capite fieri neque assignari denotat, cur non hoc quoque versu? — Huc accedit, ut interpretores illi gravissimam hypothesin proferant, versu primo mundi creationem primariam contineri atque hujus creationis quasi introductionis generalis in narrationem novarum terrae formationum hoc loco mentionem fieri. Cui grammatica primi versus interpretatio obstat. Versus enim primus neque creationem primariam amplecti neque a versu secundo sejungi potest, quum illud **ו**, quo versus secundus incipit, versum secundum continuationem primi esse demonstret et **הארץ** in versu secundo ad idem illud primi versus verbum spectare oporteat. Quare fieri non potest, ut versu primo primaria illa creatio contineatur, cujus repetitio et perfectio versibus sequentibus fiat, sed verba illa **והארץ והמים** mundum, **κόσμον**, qualis nunc est, significant.

Alii, ut Eichhorn et Rosenmueller, versum primum non de primaria illa creatione interpretantur, sed terrae et coeli rudimenta aut materiam, quae omnium prima fuerit efficienda, significari affirmant. Huic vero obstat, quod coelum et terra alias semper mundum significant, cf. 2. Petr. 3, 13, atque, ut lignum et lapides nunquam aedem regiam significant, ita materia coeli et terrae ipsa terra et coelum nominari nequeat, praeterea quod coelum re vera secundo demum die creatum esse narretur. Jam vero quomodo versus primus interpretandus est? Versum primum initium narrationis esse, quod quidem jam reliqua antevertat et omnia postea narrata amplectatur, sequentibus versibus autorem incipere singula ordine narrare persuasum mihi est. Versus igitur primus non obstat, si cosmologiam primo capite narrari affirmamus.

Autorem vero cosmologiam proferre velle, ex epologo 2, 1 apparet **ויכלה השמים והארץ וכל-צבאם**, qui quasi lapis finalis totius creationis aedificii est. **צבא** alias modo exercitum

coelestem, astra vel angelos significat, hoc loco ad terram quoque refertur: omnes exercitus et in coelo et in terra. Optime hunc epilogum Nehemias interpretatus est, cf. Neh. 9, 6, qui ad locum hunc respiciens zeugma illud rejiciens dicit: Tu, Deus, fecisti coelos et omnem exercitum eorum, terram et quodcunque super ea.

Cosmologiam vero narrari quum maximopere ex structura totius narrationis eluceat, accuratius illam perquiramus. Scriptor primo mundum ante oculos ponit, qualis exstitit, quum Deus creandi opus inierit. Mundus primario statu massa deserta et animalibus plantisque vacua erat, chaos, unde omnia, et terra nostra et coelum, orta sunt. Chaos undis primariis inclusum erat, supra undis undique tenebris cinctis spiritus Dei versabatur. Principium procreaturum et vitam communicaturum, lux, omnio deerat. Quum Deus mundum, qualem nos videmus, procreare vellet, tenebras evanescere et lucem fieri jussit. Creata lux primum primi diei opus erat. Lux vero cum tenebris alternabatur atque quum vesper et mane facta essent, unus dies perfectus erat. Unde elucet veterem traditionem falsam esse, quae diem civilem tenebris exorientibus incipientem facit. Secundo die aquae separatae atque aquae superiores ab illis inferioribus firmamento expanso divisae sunt. Tertio die aquae inferiores, quae ad firmamentum attinent, *מִתְחַדָּשׁ הַיָּם* contrahuntur, ita ut ab illis demoveantur. Quo magis aquae contrahebantur et dimittebantur, eo magis terra apparuit, primo montes, tum valles, terra et mare separata sunt. Eodem die terra primas plantas procreavit vi a Deo ei indita procreatrice partim herbas semen producentes partim arbores semen continentes. Plantis tertio die procreatis quarto corpora coelestia, sol, luna, stellae fiunt, quae quidem conditio vigoris atque incrementi omnium animantium sunt. Jam exortus plantarum sine lucis opera fieri nequivit, nunc autem, quum creaturae substantiales oriundae sint, lux corporibus coelestibus infixae atque modus quidam temporis institutus est. Quinto die Deus animalia anima exornata procreare incipit. Quum terra nondum arida atque animalibus terrestribus inhabitantibus apta esset, primo,

animalia maritima, tum aves procreantur. Sexto vero die animalia terrestria, vermes, pecora exorta sunt atque postremo corona totius creationis homines, mas et femina, e manibus Dei provenerunt, qui quidem homines ad imaginem et similitudinem Dei facti sunt. Homo est summa, nobilissima omnium creatorum, omnium vero aliorum eget, quare omnia alia ante homines procreata esse oportuit. Homine, fine ac corona totius creationis exorto Deus creare desinit et septimo die requiescit. Septimum igitur diem sanctum instituit, quod hoc opere creandi destiterat. Quodsi ita narrationem consideravimus, intelligimus scriptorem summa diligentia ac cura ordinem symmetricum secutum esse. Liquet sex illos dies duo tridua esse, quorum singuli dies sibi respondeant, luci igitur primo die quarto astra, partitioni terrestrium et coelestium aquarum secundo die pisces et aves quinto, terrae arefactae tertio die sexto animalia terrestria. Hoc consilium et ordinem gravissimum fuisse, inde elucet, ut scriptor consilium alterum, quo progressum creatorum ab imperfectioribus ad perfectiora usque ad creaturam perfectissimam, hominem, exprimat, primi illius consilii gratia deserat et contra leges naturae רמש, vermes, post aves perfectiores creatos esse narret.

Quibus exploratis nonne scriptorem creationem totius mundi narrare velle putas? Nonne creationem describit secundum consilium, quod Deus secutus sit, secundum stadia et gradus, quae mundus enascens pereurrerit? —

Quid vero dicendum est de narratione illa Gen. 2, 4 sq., quam permulti, cf. Hupfeld „Quellen der Genesis“ alteram cosmologiam esse affirmant? Quod ut demonstrent, argumentum gravissimum verba illa Gen. 2, 4 afferunt, quae quidem sequenti narrationi inscripta esse persuasum iis est. Verba illa interpretemur. תולדות ab Hiphil verbi ילד secundum analogiam תולדות, תוצאות derivatum generationes, γεννήσεις vel prolem notare constat, hinc γενεαλογίαν, recensionem eorum, qui progeniti sunt ex eo de quo agitur, cf. Gen. 6, 9; 11, 27. Quare hoc loco תולדות de generationibus, id est procreationibus, quibus creationis diebus — יום latiore

sensu diem significat — coelum et terra ipsis cooperantibus frequentia reddita sunt. Ut alias הולדת consecutionem singulorum genealogiae membrorum, ita ad terram coelumque translatum consecutionem singulorum cosmogoniae operum significat.

Haec vero verba iis, quae sequuntur, inscripta esse inde apparere iis videtur, ut illa aliis locis semper sequentibus inscripta sint, cf. 5, 1; 6, 9; 10, 1; 11, 10; 11, 27; 25, 12 etc. Nonne vero animum offendit, quod autor, quum in verbis inscriptis cosmogoniam narraturum se esse promiserit, de coelo omnino non loquatur? Quam rem aliter interpretari nequeunt, atque ut dicant Gen. 2, 4 sq. modo fragmentum cosmologiae nobis esse traditum. Quae vero hypothesis nullo argumento demonstrari potest, atque eo minus, quum nullum fragmenti vestigium reperiatur, quin etiam historia continuata nobis allata esse videatur. Quomodo vero verba illa interpretanda sunt?

Primum constat verba illa alias modo iis narrationibus inscribi, quae ab autore אלהים nomine utente profectae sint. Verba illa, quum praeterea ad secundam narrationem Gen. 2, 5 sq. pertinere nequeant, nonne ad priorem narrationem Gen. 1, 1 sq. spectant, in qua re vera origines atque historia coeli et terrae referuntur? Quum vero verba illa nunquam praeteritis subscripta, sed semper sequentibus inscripta reperiantur, illa initio narrationi priori inscripta fuisse atque hoc modo expressa verisimile est: Hae sunt generationes coeli et terrae, quum creata sint, quo die אלהים coelum terramque procreavit. Verbum illud יום illa sex creationis tempora amplectitur; verbum enim יום latiore sensum tenet. Tum vero versum secundum primi capituli hanc inscriptionem statim secutum esse et versum primum ab recentiore redactore translocata illa inscriptione, quum quam inscriptionem esse vellet, profectum esse arbitrandum est. Translocationem vero fecit redactor, ut quaedam conjunctio duarum illarum narrationum adesset. Eadem ex causa nomina ירהוה אלהים attulit, ut Deum mundi creatorem, qualis primo capite in medium prolatus esset, eundem esse significaret, qui

secundum alteram narrationem homines creavisset. Brevi duas illas narrationes artissime conjunctas et conjungendas esse redactor indicare vult. — Quibus expositis ex externis causis alteram narrationem cosmogoniam afferre demonstrari nequit. Neque vero ex internis argumentis haec ratio probatur. Quid quod discrepantiam duarum illarum narrationum afferant? Nonne ex ipso illo argumento contrarium potius sequitur, ut diversa narrare voluerint? Quid quod de mundi creatione scriptor in altera narratione omnino non loquatur? Nonne modo de plantarum, hominum, animalium exortu sermo est? Quare si quis libero animo narrata legerit, cosmogoniam iis inesse negabit.

Quid vero de ratione illorum, qui geogoniam contineri sentiant, dicendum est? Hoc aequè falsum esse mihi videtur, quum terrae creatio vel formatio non describatur, sed modo Deus terram plantis exornans atque hominibus animalibusque implens exprimatur. Quod consilium et quae ratio alterius narrationis sit, optime intelligimus, si structuram hujus capituli perquirimus et cum consilio ac ratione prioris narrationis comparamus. Id disserere propositum nunc est.

Primum plantarum ortus, qui Gen. 1, 11. 12. narratus est, accuratius singulatimque describitur. Postquam Deus terram aridam ex aquis emergere jussit, plantae nondum erant in terra, herbae non effloruerant, vegetatio omnino deerat, quippe quum pluvium nondum dimisisset Deus et homines ad agrum colendum nondum adessent. Exortus igitur plantarum duabus in conditionibus positus est, quibus procedente creationis opere satisfactum est. Nebula e terra esurrexit summamque terram rigavit. Ros igitur humum perfudit et plantas e terra elicuit. Tum homo ad agrum colendum creatur atque ejus creatio accuratissime describitur. Deus hominem ex pulvere terrae format, formatum vivificat spiritum vitae ejus naribus inflans. Haec narratio docet originem et initium, compositionem et conditionem naturae humanae. Scriptor domicilium primi hominis describit versu octavo: Deus arbores cujusvis generis e terra enasci jussit et hortum in Eden condidit, quem homini colendum et

servandum dedit. Hoc in horto, qui paradiscus dicitur, modo plantis homo circumdatus est, quae una arbore excepta ejus arbitrio ac voluntati datae sunt.\* Animalia paradiscus nondum insunt, quod considerans et deliberans Deus dixit, bonum non esse, hominem solum in paradiscus versari, auxilium ei aptum se facturum esse. Homo igitur initio solus est, id quod bonum non est, quum ad officium vel munus implendum coadjuvante eget. Quare Deus e terrae materia animalia cujusvis generis, bestias, aves, formavit atque ad hominem duxit, ut iis nomina daret. Animalia igitur a Deo procreantur neque e terra pronascuntur, ut secundum priorem narrationem, cf. Gen. 1, 24 videri potuit. At simul quod sit discrimen animalium hominumve scriptor indicat. Animalia a Deo e terra procreantur, corpus et anima simul exoriuntur, quum materia initio spiritu Dei et vi vivificante et procreante impleta fuerit. Quare statim genera conveniunt. Hominis corpus et anima non simul procreantur neque terra corpus ex Dei jussu profert, sed Deus ipse manus adjicit et format. Tum spiritum Deus inflat et hominem personam creat. Itaque non de animalibus, sed de homine solo verbum illud Arati valet: τοῦ καὶ γένος ἑσμέν. Quum homo paria animalium nominans sociam humanam desideraret, Deus sopore immisso unam de costis hominis tulit, ejus locum carne tegit atque ex costa ejus mulierem formavit, quam ad Adam duxit. Quo modo scriptor unitatem originis generis humani probat. „Costa illa, inquit Thomas ab Aquino, fuit de perfectione Adae, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat individuum speciei.“ Adam agnoscit mulierem sociam desideratam et nominat eam ἡγῆς. Hoc modo unitatem non modo corporum, sed etiam animorum scriptor demonstrare studet, id quod verbis illis exprimit: Propterea deserit vir patrem matremque et mulieri deditus est.

Quodsi hoc modo narrationem perquisivimus, nonne intelleximus modo hominum originem in illa explicari atque quaecunque de plantarum animaliumque origine dictum sit, modo ad hominem spectare? Quare geogoniam huic narrationi inesse nego.

Quid vero est, quod scriptor velit?

Totam creationem narrare non vult, sed modo historiam creationis hominum, hoc est centrum totius narrationis; omnia alia hominis causa creata esse et quae sit ratio hominis ad creata demonstrat. Omnia igitur narrata intra sex illos creationis dies, de quibus primo capite secundum ordinem quendam sermo est, facta sunt. Ad priorem illam narrationem scriptor redit atque spectat, ut nonnulla accuratius, quam ibi factum est, exponat atque ortum plantarum, animalium, hominum, nonnulla iterum alio consilio et alia ratione narret. In narratione priore homo finis et corona totius creationis est, ad quem totus progressus procedit, quocum creatio ad finem redacta est, in altera narratione homo centrum et quasi cardo est, quocum cetera omnia conjuncta sunt. Quibus expositis quid consilium scriptoris fuisse putas? Nonne autorem alterius narrationis illa, quae intra sex dies creationis facta aut instituta fuerint in orbe terrarum, quaeque autor prioris narrationis breviter tantum et summatim perstrinxerit et attigerit tantum, vel quae etiam prorsus omiserit, resumere et supplere voluisse persuasum tibi est? Quod quam verum sit, ex ceteris hujus scriptoris narrationibus dilucidum est, quae quidem omnes id spectant, ut primarias illas ab illo, qui nomine Dei אלהים utitur, scriptas traditiones suppleant. Non ignoro, nonnullos doctissimos viros affirmare, redactorem Pentateuchi e compluribus fontibus hausisse, quin etiam narrationes, quales invenit, immutatas huic libro inseruisse. Quod vero sententiae meae non obstat, quum supplendi consilium ad colligendas et scribendas traditiones scriptorem egerit. Supplendi consilium nimis clare elucere mihi videtur, ita ut sententiae plurimorum interpretatorum assentiri velim, qui illum autorem, qui nomine יהוה usus sit, primariam narrationem supplere voluisse dicant.

Qualis vero secundum duas illas narrationes redactoris et post eum omnium Hebraeorum de mundi creatione sententia erat? Creationis opera haec erant: Primo die lux creata est, secundo firmamentum, tertio terra ex aquis separata, plantae, quae procreante vi terrae a Deo indita, quum

nebula humum rigasset et semina elicisset, effloruerunt, creatae sunt. Quarto die corpora coelestia et lucentia, quinto pisces et aves, sexto animalia terrestria ex terra formata provenerunt atque postremo homo, creatura nobilissima, manu Dei ex terra formatus et spiritu Dei exornatus est. Ubi homo initio domicilium habuerit, non constat. In paradisum statim non immisus est, quod illam extra paradisum terram eum aspicere oportuit, ut pulchritudinem et majestatem paradisi et munus suum ad totam terram spectans cognitum haberet. Ex paradiso enim hominis regnum de natura incipere, inde totam terram paradisum fieri Deus voluit. Quare Deus in mediis plantis virentibus et florentibus, singulari opera creatoris, paradisum instituit, quo primum hominem, Adam, transferret. Huc animalia, quae e terra formaverat, ad hominem duxit, ut ille nomina iis daret. Eodem sexto die Deus ex costa Adae mulierem, adjutricem et sociam viri procreavit. Deus hominibus benedixit cf. Gen. 1, 28, nutrimentum iis assignavit, arboris fructus, qui cognitionem boni malique efficerent, illos edere vetuit. Tum creatione absoluta et perfecta septimo die Deus quievit et hunc diem sanctum instituit. — Haec secundum duo illa Geneseos capita vera Hebraeorum cosmologia fuit.

### III. De fide historica cosmologiae Hebraeorum.

Postquam Hebraeorum de mundi creatione sententiam cognovimus et perquisivimus, necesse est nos fidem historicam cosmologiae illius examinare.

Interpretatorum exercitus binis in castris animis infestis jacet, in alteris fides historica duarum illarum narrationum defenditur, in alteris pro interpretatione mythica dimicatur. Priorum castrorum exercitus in duas partes disgressus est, quum altera discrepantiam narrationum illarum cum inventionibus virorum naturalium rerum peritissimorum et cum explorationibus criticorum adversantium pro nihilo aestimans et praetermittens fidem ad literam historicam obtineat, altera inventiones et explorationes illas cum fide historica narrationum in consensum redigere velit. Alteris quoque in

castris complures partes exstiterunt, quarum prima narrationes illas allegorice vel symbolice interpretatur, secunda illas poetarum antiquorum carmina esse affirmat, tertia mythos philosophicos esse dicit, quinta eclecticam rationem sequitur. Quas rationes ordine perlustrare et hoc in fundamento nostram sententiam instituere propositum nobis est.

## 1.

Qui fidem ad literam historicam narrationum illarum defendunt, inspirationis doctrina nimis anxia nituntur. Inspirationem dicunt actum ejusmodi esse, qua Deus non solum conceptus rerum scribendarum, objectis conformes, sed et conceptus verborum ipsorum supernaturaliter communicaverit cum intellectu scribentium ac voluntatem eorum ad actum scribendi excitaverit. Quas res vel minimas Deus creatione dignas censuerit, eas indignas supernaturali revelatione eum non judicasse. Quae vero inspirationis doctrina vera esse mihi non videtur. Paulus quidem apostolus loco illo 2. Tim. 3, 16 eandem sententiam habere et loco illo Gal. 3, 16 illam rationem sequi videtur, quum hic vel singula verba urgeat. At dicendum est, Gal. 3, 16 re vera de manifestatione Dei ad Abrahamum agi eaque ex re verba urgeri. Paulum alias inspirationis verbalis doctrinam non probare, locus ille Eph. 4, 8, ut exemplum afferam, demonstrat, ubi verba veteris testamenti permutat, ut demonstrationi serviant. Porro in narrationibus inter materiam historicam et manifestationis vel inspirationis argumentum discernitur, ut in narratione Act. 7, 2 sq., ubi Stephanus dicit, Deum Abrahamo in Mesopotamia visum esse, quod quidem Gen. 12, 1—4 demum in Chaldaea factum esse narratur. Paulus 1. Cor. 10, 8 falsum numerum affert, veteris testamenti locum permutat, ut illo ad demonstrationem uti possit, cf. Rom. 10, 8; Eph. 4, 8. Quare dicendum est, ubi Paulus divinum argumentum inveniatur, ibi eum vetus testamentum *θεόπνευστόν* nominare. Ab illa ad literam inspirationis doctrina, qua in scriptura sacra quasi Dei opificio humanum errorem inesse negant, hoc tempore plurimi cesserunt. Haec ratio vera

esse mihi videtur, inspirationem eam spiritus sancti cum sanctorum scriptorum spiritu conjunctionem singularem esse, qua divinam veritatem in conscribenda revelatione tradiderint neque vero libertas humana sublata sit; verbum Dei individualiter communicatum et conceptum esse ita ut etiam errores inesse possint. Quare inspirationis doctrina non impedimur, quin fidem ad literam historicam negemus. Quid vero quod cosmogonia non modo in Pentateucho, sed etiam in tota cetera literatura vere facta enarrare intelligatur? Gloria et laus Dei, quae in psalmis 8 et 104 continetur, historica probabilitate cosmologiae nititur. Ac si Christus Matth. 19, 4—6 Deum homines ἄρσεν καὶ θῆλυ creasse dicit; si autor illius ad Hebraeos epistolae ad Gen. 2, 2 spectans hoc principium movens omnis historiae esse affirmat, ut sabbathum Dei sabbathum creaturae fieret; si idem cum creatione mundi ἡμέραι θεοῦ recapitulationem historiae veteris testamenti incipit, Hebr. 11; si 2. Petr. 3, 5 terra Dei verbo ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος facta significatur, Christo et apostolis cosmologia illa historicam probabilitatem habuit atque talibus autoribus dubium est an fidem historicam negare liceat. Hoc vero ex illis locis concludere non licet, quum ibi non de tota historia oratio sit, atque si literam apostoli urgerent, tamen arbitrandum nobis esset, in eodem literarum gradu apostolos versatos, quo Judaei et tota aetas illa, eorum sententiam secutos esse vel se populi notionibus accommodasse et sapienter se humiliasse, exemplum Christi sequentes, cf. Mtth. 13, 11; 11, 14; Joh. 16, 12; Act. 16, 1—3; 21, 17—26; Röm. 14, 1; 1. Cor. 3, 1; 9, 19; Gal. 4, 21. Nemo est qui putet Christum in mundum venisse, ut omnes artes et literas homines doceret, sed ut hominum animas ab interitu aeterno salvaret.

Quid quod e scriptura sacra eodem more historiam non ad literam veram intellectam esse demonstrari potest? Conferimus Ps. 104, 6. 7 cum verbis Geneseos 1, 2. 3, intellectum longe diversum animadvertimus; montes primo ex aquis apparent et videntur, aquae fugiunt Dei tonitru incitatae et disjiciuntur. Jam vero Job. 38, 7 sq. cum illis Gen. 1 et 2

narrationibus conferamus, maximopere inter se discrepare animadvertemus. Nam in Jobis loco luciferi antiquiores sunt terra atque, quum terra crearetur, cantum laetum cecinerunt. Quodsi duos illos locos descriptiones creationis poëticas esse interpretamur, tamen hos scriptores cosmologiam Geneseos non ad literam et verbum anxie veram habuisse elucet.

Jam vero si quis narrationes ipsas illas perquisiverit, veras illas res continere negabit. Nam primo, quum priores Geneseos narrationes inter se distent, non satis intelligitur probabilitas. Tum vero puerilis illa de natura sententia antiquitatis totius mori modoque conveniens partim summis ac sanctis naturae legibus repugnat. Quod nos coelum vocamus, scriptori videbatur solidum quidquam diductum, quo aquae inferiores distinerentur a superioribus, quae in pluviis et imbris decidunt. Astra, corpora lucentia, a Deo coelo affixa omnibus, partitionibus diei noctisque sunt. Neque semper ab imperfectioribus ad perfectiora progressus observatus est, quippe quum רמז, quo verbo animalia valde imperfecta significantur, avibus creatis prodire Deus locutus sit. Tum vero infantium more de Deo humana ratione scriptores sentiunt, quod jam saeculo secundo p. Chr. n. liberioribus christianae ecclesiae haereticis, imprimis illis ex Essenismo profectis Ebionitis et postea patribus ecclesiae celeberrimis et antiquissimis, Clementi Alexandrino, Origeni, Augustino displicuit. Deum enim quasi artificem scriptor profert, nam ad opus quodque verbo utitur, creata alloquitur, considerat, bona esse intelligit, quasi etiam aliter ac bene creata esse potuerint; priusquam homines creat, secum consilium et meditationem habet, quum haec creatio gravissima sit; postquam sex dies elaboravit, quasi labor eum tantopere fatigaverit, Deus quiescit. At quod hunc anthropomorphismum attinet nego inde apparere narrationes vere facta narrare noluisse, quum fieri possit, ut in quavis de Deo et vere factis narratione anthropomorphismi insint. Nostra enim lingua et sensus Deum pure absolutum et personalem menti imbuere et animum pietate et reverentia implere nequeunt,

quare summis et ideae maxime convenientibus humanis notionibus utimur et ad Deum illas transferimus. Ita etiam nostris temporibus scriptores agunt, eodem more etiam illi Hebraeorum scriptores utuntur. Unde sequitur, ut narrata vera esse possint, etiamsi Deus creans hominis instar proferatur. — Quid vero quod investigationes geognosiae, formatio saxorum ordine exaggeratorum atque reliquii plantarum animaliumque mundi primarii impletorum narrationi, quae singula opera dierum spatio creata esse affirmat, repugnant? Has petrofactiones prioribus temporibus ab eluvie illa deduxerunt, quod quam falsum sit jam ex immensa tabularum illorum crassitudine et varietate apparet, atque etiam magis ex ordine et gradu animalium, quae iis insunt, ab imperfectioribus ad perfectiora liquet. Unde efficitur haec animalia aliquando in illis tabulatis vixisse et revolutionibus posterioribus occidisse atque haec tabulata paullatim diuturnis spatiis neque uno die formata esse, ergo multa annorum milia terrae hujus formationi antecessisse.

Denique fidei ad literam et verbum historicae historia narrationum illarum obstat. Nam illae de mundi et hominis creatione traditiones, quae cum primis hominibus ex paradiso emigrabant aliam linguae formam habebant atque illae, quae nobis propositae sunt. Priusquam ita, ut traditae sunt, scribebantur, permutationem saltem ad linguam spectantem nactae sunt, atque compluribus permutationibus jam volutae erant, quum lingua primaria atque una in multitudinem linguarum multorum populorum disgrederetur. Quae permutatio quum libera non esset, versionis modo non est facta, primarius textus traditionis paullatim exinguebatur et reminiscencia novum cogitandi et dicendi processum iniit. Haec ad linguam spectans permutatio non sola facta est, recte arbitramur traditionem primariam argumentum multo latius habuisse quam cosmologias scriptas nobis traditas, id quod ex cosmogoniis ceterorum populorum concludi potest. Quare omnia narrata vere facta esse possunt, sed quum cosmologiae scriptae quasi umbra primariae traditionis primorum hominum sit, cosmologiam totam at ad literam veram contineri nego.

---

Alteram interpretationis viam illi viri ineunt, qui naturalium rerum spectatorum investigationes biblicae narrationi conferre conantur, atque, quae de cosmogonia tradita sint, vere facta quidem esse affirmant, sed sensuali et poetica ratione expressa, ita ut nonnulla figurate et improprie interpretanda sint. De anthropomorphismis idem sentiunt, quod brevi ante dixi. Tum plurimi putant, in primo Geneseos versu primariam mundi creationem indefinito primario tempore factam, sequentibus versibus novam terrae mutationem ab hinc circa sex milia annorum contineri. Inter primum et secundum primi capituli versum totam quandam mundi epocham multorum milium annorum et ejus disturbancem inserunt, ut geognosiae assentiantur, quae docet multis milibus annorum ante hanc terrae formationem animalia illa, quae saxi inclusa inveniuntur, vixisse et totum animalium et plantarum genus occidisse, priusquam mors hominum lapsu in mundum venisset. Quae vero interpretatio grammaticis difficultatibus occurrit; quomodo primus ille versus interpretandus sit, jam supra accuratius demonstravimus. Alii putant petrofactiones primo die naturae vi procreatas neque a Deo ipso factas et ad vitam destinatas fuisse; quare non vere illas vixisse et sequentibus tabulatis occidisse dicunt. Haec vero mirifica est interpretatio, quae biblicae narrationi, in qua nihil nisi Dei voluntate creatum est, repugnat. — Quid quod alii dies illos periodos esse affirmant nitentes verbis illis Ps. 90, 4 mille annos Deo diei instar esse? Si inde discesseris, ut multa ex biblica narratione physiologiae gratia dirimere et mutare coacti sint et physiologiam pluris scripturae sacra aestimare videantur, tamen repugnat, quod verbum illud יום hoc loco vim periodi habere nequeat, quum commemoratum mane et vesper obstet. Scriptorem enim sex dierum spatia in animo habuisse, quisquis integre judicabit, confitebitur. Quod vero scriptor coelum solidum quidquam diductum esse arbitratus sit, ea interpretatione demovere student, ut רקיע atmosphaeram denotare affirmant. רקיע habet vim primariam calcare, calcando stipare, unde Deus dicitur Ps. 136, 6 ירקע על המים στερεώσας τὴν γῆν ἐπὶ τῶν ὑδάτων. Hinc,

quia quae calcando stipantur, lata et plana fiunt, ad metalla tundendo diducta transfertur, unde רקיע de unoquoque solido diducto sive expanso usurpatur. Hoc modo רקיע versu octavo שמים appellatur. Coelum igitur solidum quidquam diductum haberi neque רקיע de atmosphaera usurpari posse ex etymologia verbi ipsius elucet. Hanc sententiam scriptorum Hebraeorum esse inde apparet ut 2. Sam. 22, 8 dicatur firmamentum, cui stellae quasi clavi affixae sint, in montibus positum esse; cf. Job. 26, 11 ubi in margine orbis notio est; Job. 9, 6 ubi terram columnis vel montibus niti narratur; Job. 37, 18 firmamentum cum speculo metallico confertur; Exod. 24, 10 cum sapphiro, Ezech. 1, 22 cum crystallo comparatur; Gen. 7, 11 coelum fenestras quasi habere narratur; Ps. 104, 3; 148, 4 supra esse cellas pluvii et nivis, quae sunt aquae superae, quae a mari רקיע separantur, ut Ps. 148, 4 dicitur: Laudate eum coeli coelorum et aquae, quae sunt supra coelos. Haec sententia non modo apud Hebraeos, sed ad omnes antiquitatis populos viguit. Graecos quoque coelo soliditatem tribuisse inde patet, ut Homerus Odyss. 15, 328 οὐρανὸν σιδήρεον, coelum ferreum et Iliad. 5, 504; 17, 425; Odyss. 3, 2 χάλκεον, aeneum nominet. Artemidorus teste Seneca Nat. Quaest. 7, 13 summam coeli oram statuebat esse solidissimam, in modum tecti duratam. Quid igitur magis naturae rei convenit, quam ut putemus scriptores cosmologiae Hebraeicae eodem errore occaecatos fuisse quo tota antiquitas? Multifariae doctrinae apparatu evincere student viri illi doctissimi, cosmologiam Hebraeorum prorsus consentire cum iis, quae viri rerum physicarum peritissimi nostris temporibus de terrae origine et structura vel conjectarunt vel observarunt. Sed videtur viris acutissimus hoc fraudem fecisse, ut non, quid ipsa res et interpretatio, tum scriptoris aetas, consilium, ratio afferret, sed ut jam antea aliquid, quod in ea inesse persuasum sibi haberent, assumerent. Omnino teneri velim ab omnibus, qui priora Geneseos capita legere aggrediuntur, quae monuit Heyne, vir doctissimus, de interpretandis antiquissimorum Graecorum cosmogoniis in Comment. de Theogonia ab Hesiodo condita pag. 137: „Nihil

potest magis perperam factum cogitari, quam ea, quae longo demum rerum usu scientiis mathematicis et physicis expolitis intelligi possunt, putare rudium hominum animis illabi potuisse saeculis illis, in quibus non ad sensum vulgares rationes omnia referre non poterant. Contra alineam a priscis aetatibus omnis illa subtilitas, quam melior philosophia cum divina tum humana intulit." Interpretatores multi nonne demonstrare volunt id quod nemo putare potest, scriptorem cognitum habuisse, quo modo terra creata et formata sit, ita ut scriptoris scientia de physicis rebus statum totius antiquitatis longe antecesserit, vel Deum scriptori summum naturae mysterium enuntiasse, cujus neque in vetere testamento neque in historia ullum est exemplum vel vestigium, quod ad geologiae investigationes recentioris aetatis nemo cognovit? —

## 2.

Omnibus his argumentis mota alia interpretatorum pars narrationes illas ceterorum populorum de eisdem rebus narrationibus convenienter mythos esse affirmat.

Sed ab falsa illa sententia proficiscuntur, miracula et manifestationes supernaturales esse non posse. Ex eorum ratione omnia secundum leges naturae evenisse necesse est. Narrationes mythos esse neque res vere factas referre posse dicunt, quia in illis res disserantur, quarum nemo testis esse potuerit, neque vero manifestatas res esse, quum manifestatio omnino non existat, et in narrationibus tot miracula inesse, quae vera esse nequeant. At secundum naturae leges omnia etiam hodie modo iis fiunt, qui illum Deum, qui in monte Sinaitico legem cum tonitru et igne dedit, nondum in se loqui audiverunt, qui e regno naturae nondum in regnum Dei translati sunt viresque futuri mundi quasi gustaverunt, qui gloriam Dei magis magisque mirifice se manifestantem nondum aspexerunt. Miracula, vaticinia, manifestationes fieri posse, fidus homo miraculo regenerationis et spiritus sancti in ipso expertus est.

Aliud vero argumentum mythicae interpretationis est,

quod omnes populi, qui de origine mundi et de sua stirpe meditentur, tales cosmogonias habeant, quae quidem Hebraicae partim simillimae sint. Apud omnes politiores antiquitatis nationes initio historiae magis vel minus probatae seriem mythorum et famarum inveniri, quae id spectent, ut originem populi et res ab eo gestas, quae historia non cognoverit, demonstrent et celebrent. Vehiculum gratissimum, quo imprimis in Oriente populorum famae ducantur, genealogiam esse. Quo modo stirpem imperatorum Osmanicorum ad primos homines reduci, fabulosam esse regum seriem apud Indos et Aegyptios neque minus vitam et res patriarcharum Hebraeorum. At si populus literaturam proferat, genealogias illas in historiam transgredi, et mythum fabulasque rationem habere linearum divergentium, quarum angulus vere factum primum idque probatum sit atque dam linea historica perspicuitate magis magisque aucta prolongatur, mythicam magis magisque in nebulam removeri, quo veterior natio, eo latius et nebulosius prolongari. Omnia post obitum fingere majora vetustatem. Ut domesticus fabularum cyclus initio non careat et reipublicae ordo omni modo a summo fine, ab ipso Deo proficisci videatur, apud theocraticas nationes cosmogoniam et deorum famam initio narrari. Historiam Aegyptorum cum theogonia incipere, Manu et Zoroaster cosmogoniam et leges conjungere ad unum, apud Indos omne scriptum, quod nomen antiquitatis sibi vindicare velit, a creatione, theogonia, chronologia, genealogia antiquorum heroum et eorum historia proficisci oportere. Aequè etiam ad Hebraeos rem se habere.

Interpretatorum illorum multitudo in diversas partes disgregatur; alii cosmologiam allegoriam Dei esse, alii picturam creationis poëticam, alii philosophorum meditationes, alii historiam mythicis elementis mixtam interpretantur.

Consideremus primo interpretationem allegoricam vel symbolicam, quae historiam illam non vere facta narrare, sed allegoriam, symbolum notionis vel sententiae cujusdam esse putat. Qua ratione jam antiquissimis christianae ecclesiae temporibus multi viri usi sunt. Jam Philo, Clemens Alexandrinus, Origenes, Augustinus ei indulgebant. In versu

primo verbum illud ראשית philosophico sensu interpretantur quasi principium vel sapientiam divinam creationis adjutricem, atque verbum illud referunt ad *Λόγον*, qui ab initio cum Deo mundum creavit. Singulorum dierum operibus modo successum operum creatorum et varios creatorum ordines significata esse dicunt; quiete exprimi, ex vetere confusione omnia ad tranquillitatem progressa esse. Quae vero interpretatio levissima et monstruosa ipsa se redarguit et refellit, quum nemo sit, qui demonstret scriptores allegoriam vel symbolum afferre voluisse. Quare hanc interpretationem recentioribus temporibus extabescere oportuit et modo in historia interpretationum locum tenet.

Recentioribus temporibus interpretatio poëtica multos defensores habet. Qua ratione primus usus est Herder in libro: „Aelteste Urkunde des Menschengeschlechtes“, qui quidem ad allegoricam interpretationem prope accedit. Narrationem illam hieroglypham, picturam creationis mundi poëticam vel symbolicam a quotidiano aspectu orientis diei profectam esse dicit. Quare narrationem non physica ratione, sed e lege perceptionis, qualia omnia in sensus incurrerint, et ex ratione symmetriae compositam esse. Quodsi vero nonnulla lineamenta exorientis diei similia essent, — de tota narratione id affirmare audacius esset — tamen ex tota descriptione et dispositione luculentissime apparet, hanc narrationem nihil nisi historiam creationis afferre voluisse.

Alii vero narrationes illas picturas creationis a poëtis antiquissimis vel philosophis profectas habent, qui quidem creationem ex sensu et perceptione aetatis suae nobili simplicitate et gravibus lineis pingant vel describant. Si quis poëta vel philosophus, ajunt, sententiam illam subtilissimam de auctoribus supernaturalibus mundi sibi illustrare volebat, brevis illa notio: Dei mundum ex chaote eduxerunt, ei non satisfacit, sed cogitatione et meditatione totam historiam paulatim exorientis coeli et terrae finxit, in qua homo, spiritus Dei in vestimento terrae, quasi corona procedit.

Alii priorem illam narrationem antiquam meditationem de origine Sabbathi esse putant, alii philosophum quendam

omnes homines ab isdem parentibus exortos esse demonstrare voluisse; ab Bohlen vel frandem sacerdotum, quorum in manibus literatura Hebraeorum fuerit, narrationes illas habet, quo facilius populum institutionibus hierarchicis subjicerent. At praeterquam quod haec sententia in conjectura et opinione arbitraria posita est neque ullo argumento demonstrari potest, arma habemus invicta adversus hanc mythicam et arbitrariam interpretationem. Nam si narrationes illae Gen. I. et II. ex ingenio et meditatione veteris poëtae vel philosophi Hebraici exortae sunt, unde fieri potuit, ut narrationes illae mirifice convenirent cum illis aliorum populorum cosmologiis? Consideremus hanc harmoniam accuratius. Secundum Avestam Ormuzd cum Amschaspands mundum, id est coelum, aquam, terram, arbores, animalia, homines sex periodis creat; disharmonia illa est, quod ibi singulas creationis periodos festum tempus sequatur et pro diebus periodi referantur. Cosmogonia Babylonica incipit: Erat tempus, quo omne *σκότος καὶ ὕδωρ* erat. Leges a Manu scriptae et Epos Mahabharata narrant, Deum primo aquam procreasse et seminibus implevisse, semen vero ovum factum esse, quod quidem Brahma diffiderit. Quae nonne simillima sententia est ei, quae his verbis inest: *יהוה אלהים מרחפת על-פני המים*, quibus Deus avis instar ovis incubantis supra aquas volans et versans profertur. Quae de ovo mundi ratio non solum apud Indos, sed etiam apud Chinesos repperitur. Poëtae Graeci antiquiores omnia e chaote deduxerunt, inde et terram et coelum orta esse. Similis est cosmogonia illa, quam Ovidius in libro *Metamorph.* I., 5—88 affert, imprimis versibus illis:

„Ante mare et tellus et quod tegit omnia coelum  
 unus erat toto naturae vultus in orbe,  
 quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,  
 nec quidquam nisi pondus iners congestaque eodem  
 non bene junctarum discordia semina rerum.  
 Hanc deus et melior litem naturae diremit.  
 Nam coelo terras et terris abscidit undas  
 et liquidum spisso secrevit ab aethere coelum.  
 Quae postquam evolvit caecoque exemit acervo,  
 dissociata locis concordia pace ligavit“.

Hominis quoque creatio simili modo apud alios populos narrata est. Indi narrant Deum jussisse hominem e terra prodire, caput primum apparuisse, toto corpore pronato hominem a deo vivifacatum esse. Graeci dicunt Prometheum omnia animalia et postremum hominem ex creta figlina formasse et vivificasse et proprietatibus et virtutibus, quas singulas animalia habent, timore leporis, ira leonis, superbia pavonis et aliis, conjunctis exornasse. Aristophanes homines *πήλον πλάσματα* nominat. Ovidius Prometheum hominem ex telluris materia in effigiem immortalium deorum formasse narrat, cf. *Metam.* 1, 76—81.

„Sanctius his animal mentisque capacius altae  
deerat adhuc et quod dominari in cetera posset.  
Natus homo est. Sive hunc divino semine fecit  
sive recens tellus, seductaque nuper ab alto  
aethere, cognati retinebat semina coeli.“

Ex hac similitudine cosmologiarum et geogoniarum cosmologias Hebraeorum carmina vel picturas vel philosophorum meditationes non esse luculentissime apparere mihi videtur. An forte omnium populorum poëtas et philosophos idem sensisse putas? Arbitrari nequeo. At putaveris cujusvis alius gentis traditionem primariam esse et illam ex poëta vel philosopho excogitatum, unde ad omnes ceteros populos, ad Hebraeos quoque derivata sit? Quid quod ab Aegyptiis, dum in eorum servitudine fuerint, Hebraei cosmologias acceperint? Huic vero objicitur separatio severa Hebraeorum et odium gravissimum in Aegyptios. Aequo modo ab aliis gentibus excludebantur. Imprimis narratio Hebraica ipsa testis originalitatis suae est, quippe quae omnes antiquorum populorum cosmologias majestate et dignitate longe superet. Sola enim Hebraeorum cosmologia creationem omnia amplexam exprimit, opus Dei unius, aeterni, qui ex nihilo mundum exire vocavit, quae quidem idea in ceteris cosmologiis summopere obscurata est. Idem in cetera narrationis momenta valet, imprimis in descriptionem originis et essentiae generis humani, quae omnium cum simplicissima tum subtilissima est.

At forte quis putet cosmologias a poëtis vel philosophis Hebraicis excogitatas ab Hebraeis ad ceteros populos derivatas esse, inde similitudinem exortam. Nationem illam parvam et contemptam, quae neque mercatura neque per viros ad propagandam religionem Judaicam missos neque expugnationibus permultis populis se communicaverint, totam Asiam, quin etiam totam terram religione et philosophia affecisse putas? Ad hoc Heyne illum in medium profero dicentem: „Cum alii viderent, inesse antiquis mythis multa, quae cum sacris literis convenirent, statuerunt illi, omnem Graecorum aliorumque populorum mythologiam a Judaeis esse mutuo acceptam, sed commentatorum erroribus, fraudibus et commentis oneratam et oppressam; quibus plerumque liberare eam aggressi sunt, parum feliciter, cum ab opinione perperam suscepta profecti essent. Repugnat enim omni historiae et antiquitatis fidei, priscorum populorum moribus, institutis, literis, si a Judaeis quidquam, tantum abest, ut omnia ad alios populos derivata esse dicas.“

Cosmologiam Hebraeorum carmen vel meditationem philosophicam non esse, subtilissima illa Dei et originis et essentiae omnium rerum et imprimis hominum descriptio demonstrat. Cosmologia docet Deum ab aeternis temporibus per se ipsum existentem et independentem, Deum absolutum et personalem et spiritualem, mundum ostendit libero et omnipotenti voluntate ex nihilo procreatum neque aeternam materiam esse neque creata caeco fermento progenita, sed variam omnium animantium naturam, modum progenerationis, vires et conjunctionem eorum, omnia illa liberum opus et directum effectum hujus sapientissimi creatoris esse, omnia bene perfecta, omnia sapientissimis consiliis convenire. Quam scientiam humana ex mente exortam non esse, id tota antiquitas demonstrat, quae ad tantum gradum scientiae de essentia Dei atque de ortu et origine omnium rerum non pervenit.

Jam vero quis putet autorem cosmologiae Hebraicae acrius et subtilius eam excogitasse et exposuisse et magis in mysteria naturae penetrasse, quam omnes posteriores philosophos Graecos et Romanos, quibus nulla theoria tantopere

ad irritum cecidit, quantopere theogoniae et cosmogoniae, quam omnes ad recentiore aetate viros naturalium rerum spectatissimos? Num temere factum est, ut auctor cosmologiae Hebraicae revolutiones terrae gravissimas ordine tam recto et physicis scientiis conveniente expresserit? Unde ei haec sapientia subtilissima venit, quae quidem ab ceteris scientiis et cognitionibus longe discrepat? Sapientiam illam temere et quamvis subito ei venisse vel a mente et ratione puerili profectam esse, omnino intelligi nequit. Quid quod de origine, compositione, essentia humanae naturae et de rationibus hominum inter se et ad cetera creata, id quod supra parte secunda demonstravimus, cognitionem accuratissimam habuerit autor? —

Quibus expositis mythica interpretatio defendenda esse mihi non videtur.

## 3.

Quodsi similitudinem cosmologiarum omnium populorum consideramus et tenemus, quodsi omnes inter se derivatas esse negamus, quid magis verisimile est, quam omnes ex uno fonte derivatas esse, ex primaria traditione a primis hominibus profecta, quae cum primis hominibus ex paradiso emigraverit atque propagata, quum lingua primaria atque una et populus unus in multitudinem linguarum et populorum disgressa sint, in omnes terrae regiones dispersa et secundum religionem singulorum populorum permuta sit, quaeque ab Hebraeis summa puritate ac veritate conservata et propagata sit?

Unde vero primaria illa traditio exorta est, unde primis hominibus talis cognitio venit? Sunt qui affirmant, primarias illas narrationes meditationes et reflectiones primorum hominum esse, quae eam ob rem historica probabilitate abundet, quod mens eorum peccatis non occaecata clara fuerit. Peccatum hominibus naturae librum obsignasse, hominibus illis integris et probis naturam perspicuam, naturae et hominis ipsius ortum et progressum menti inoccatae et inperturbatae omnino clarum fuisse. Quod peccatum naturae librum ob-

signaverit, eam ob rem sapientes antiquorum temporum, quamvis docti fuerint, simplicis naturae intellectum non habuisse, eorum systemata artificiose et perverse composita esse. Paulum apostolum eandem sententiam explicare Rom. 1, 18—32, homines, quo ex tempore a Deo recesserint, in improbitatem et obscurationem mentis incurrisse, ita ut V. 22 de iis dicat *φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωρόνθησαν*. Sed illud verbum *ἐμωρόνθησαν* sine dubio ad obscurationem religiosam et ethicam mentis spectat, ut V. 23 probat verbis: *καὶ ἥλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιωμάτι εἰκόνοσ φθαρτοῦ ἀνθρώπου καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἔρπετῶν*. Quamquam negari nequit quo major improbitas et impietas populi fiat, eo magis mentis aciem et ingenii alacritatem depravari, tamen hoc retro ita ad primos homines adhibere, ut in statu integritatis subtiliorem vel naturalium rerum cognitionem habuerint, cum adversus biblicam sententiam est tum cogitari non potest.

Quibus omnibus expositis atque interpretandi rationibus remotis modo restat, ut primarias illas narrationes ex manifestatione supernaturali vel inspiratione profectas esse arbitremur. Deus enim non ut primos homines res physicas doceret, sed ut iis veras notiones de essentia et persona Dei, de habitu et ortu omnium rerum, de ratione Dei ad omnia creata, imprimis ad homines atque de ratione hominum ad Deum et ad cetera creata in intellectum ferret, perceptionem successivae evolutionis et creationis cum omnium rerum tum hominum patefecit. Primarias illas narrationes omnino easdem non fuisse, quas Gen. I. et II. scriptas propositas habeamus, quum longa traditionis via sane permutatatae sint, jam supra demonstravimus. Primo verisimile est, narrationes illas primarias argumentum multo latius habuisse, id quod ex cosmologiis ceterorum populorum concludi potest; totam cosmologiam primariam traditam et scriptam non habemus. Tum vero verisimile est narrationes primarias longa traditionis via depravatas et nonnulla falso expressa esse. Comparatis narrationibus zendicis, quae universum ab Ormuzd sex spatiis creatum esse tradunt, atque investiga-

tionibus recentioribus geognosiae, quae mundum paullatim multis temporum spatiis diuturnis factum esse demonstrant, re vera in cosmologia primaria non de diebus, sed de periodis sex sermonem fuisse velim. Sunt quidem qui Deum hominibus hexaëmeron manifestasse, ut septimum diem sabbathum institueret, affirmant. At primo credi nequit Deum ipsos sex dies elaborasse, ut sabbathum septimum diem institueret, tum primis in paradiso hominibus sabbathum non commendavit, quum iis ut christianis primis ecclesiae temporibus unus et omnes dies ejusdem dignitatis essent et quum nullum diem praeter ceteros celebrarent, omnes potius dies in intima Dei consuetudine agerent. Tum neque primorum hominum neque patriarcharum ulla sabbathi celebratio in Geneseos libro invenitur atque apud nullum alium populum neque ad Judaeos ante Mosis aetatem ullum vestigium repperitur. Scriptura sacra ipsa significat sabbathi celebrationem cum institutione legum Judaicae reipublicae incepisse. Exod. 31, 13 sabbathum quasi foedus inter Deum et Israëlitas exprimitur, unde sequitur, ut illud ad propriam religionis et reipublicae institutionem pertineat. Neh. 9, 14 Deum Israëlitis sabbathum et ceteras leges per Mosen dedisse narratur. Hesek. 20, 12 Deus de Judaeis dicit: dedi iis mea sabbatha signa inter me et ipsos, ut discerent me dominum esse sanctificantem. Unde institutionem sabbathi celebrandi narrationi primariae propriam non fuisse, a Mose primo in illa inventam esse constat, quare Exod. 20, 11 ad cosmologiam, ut divinam sabbathi celebrandi institutionem demonstraret, spectat. Quibus exploratis eo magis hexaëmeron primariae cosmologiae infuisse nego. Periodos primariae cosmologiae in dies illos scriptae cosmologiae permutatas esse verisimile est, ex quo tempore hebdomadis cyclus in usum venerat, quod quidem jam pristinis temporibus factum esse videtur. Jam Gen. 7, 4. 10; 8, 10. 12; 29, 27. 28 vestigia inveniuntur; etiam apud Chaldaeos et Aegyptios antiquissima sunt vestigia.

Omnibus his expositis sequitur, ut cosmologiae primariae primorum hominum, unde omnes omnium populorum narra-

tiones profectae sint, summam veritatem habuerint et fide historica omnino dignae fuerint, tum ut scriptae Hebraeorum narrationes cosmologiam intra fines verae religionis traditam vel ereptam perversioni gentilium et ad formam primariae simillimam redactam nobis ante oculos ponant. Quare cosmologia Hebraeorum scripta summam fidem sibi vindicat in praecipuis rebus, verba singula urgenda non sunt. —



tionibus recepit, quae mundum paullatim multis temporibus in orbem terrarum dispersis factum esse demonstrant, re vera in cosmologia non de diebus, sed de periodis sex sermonem fuit. Quod quidem qui Deum hominibus hexaëmeron mandavit institueret, affirmat, septimum diem sabbathum institueret, affirmat, credi nequit Deum ipsos sex dies elaborasse, septimum diem institueret, tum primis in paradiso sabbathum non commendavit, quum iis ut in diebus ecclesiae temporibus unus et omnes dies institueret, ut tatis essent et quum nullum diem praeter celum institueret, omnes potius dies in intima Dei consuetudine institueret, quum neque primorum hominum neque patriarcharum institueret, sabbathi celebratio in Geneseos libro invenitur a primis hominibus, quum alium populum neque ad Judaeos ante Moysen institueret, nullum vestigium repperitur. Scriptura sacra sabbathi celebrationem cum institutione legitur, sabbathi celebratioe publicae incepisse. Exod. 31, 13 sabbathum quasi instituit, Deum et Israëlitas exprimitur, unde sequitur, sabbathi celebrationem et reipublicae institutionem per Moysen, sabbathi celebrationem Israëlitis sabbathum et ceteras gentes instituit, sabbathi celebrationem narratur. Hesek. 20, 12 Deus dicitur, sabbathi celebrationem mea sabbatha signa inter me et gentes instituit, sabbathi celebrationem dominum esse sanctificantem. Unde sabbathi celebrationem celebrandi narrationi primariae propriae, sabbathi celebrationem primo in illa inventam esse constat, sabbathi celebrationem ad cosmologiam, ut divinam sabbathi celebrationem demonstraret, spectat. Quibus exploratis e sabbathi celebrationem primariae cosmologiae infuisse nego. sabbathi celebrationem primariae cosmologiae in dies illos scriptae cosmologiae esse verisimile est, ex quo tempore hebdomadae sabbathi celebrationem usum venerat, quod quidem jam pristinis temporibus sabbathi celebrationem esse videtur. Jam Gen. 7, 4. 10; 8, 10. 12 sabbathi celebrationem vestigia inveniuntur; etiam apud Chaldaeos sabbathi celebrationem antiquissima sunt vestigia.

Omnibus his expositis sequitur, ut cosmologiae sabbathi celebrationem primorum hominum, unde omnes omnium populorum sabbathi celebrationem

